


BREVE ENCO-
MION OLOMVCHII, METRO-

polis in Moraviae Marchionatu, scriptū in
gratiam amplissimi Senatus Urbis

eiusdem, carmine Elegiaco, à

Simone Ennio Glas

touino.



Glatonius S. E.

ad lant

Prostantæ excudebat Ioannes Guntherus.

Anno M. D. L.

WIMBP

Opole

243 St.


Akc V 430
3 / 677 C

Nobilis uita // *ad studium* // uiro claro .D. Hieronymo Krcz, ciui & consuli pri-
mario Olomucensi, &c, Suo amico & patrono integer-
rimo: Simon Ennius Glatouinus: Sub hoc tempus
Prostānen sis Scholæ Rector: S. P. D.

Iam facunde diu nostris Hieronyme uotis
Optabam Musa cognitus esse tibi:
Inter ut innumeros mihi pars aliquanta clientes
Esset quos gremio, patris amore, foues.
Hactenus haud illud licuit præstare: canebat
Consule te dignum quod mea Musa nihil
At modo spectata scripsit de laudibus Urbis
In qua sunt uitæ tempora grata tuæ:
In qua iurè tenes primas Hieronyme partes
Hoc meruit uirtus eloquiūmq; tuum:
Præditus hoc dono uiduas defendis honestas
Pupillisq; tuum porrigis auxilium.
Cui magis ergo meas nugas offerre decebat,
Quam tibi? qui summus fautor es Aonidum.
Omnibus illa licet patribus sint scripta dicata
Qui tecum celebri dant sacra iura foro:
Nullius at poterint nostras ornare Camænas,
Culta Pericleis ut tua uerba sonis.
Accipias igitur scriptas hoc carmine laudes,
Ingenio scripsit quas mea uena rudi
Accipe, commendaq; tuis encomia uerbis
Ante Senatores, ante piōsq; patres.

Data e Schola nostra Prostannensi, 29 Decembris,
quæ fuit uigilia Andree, Anno 1. 5. 49.

Ennius MION OLOMVCI, ELEGI-
aco carmine scriptum.



Vos date principium, calamoq; fauete Camoenæ
De cerebro summi numina nata Iouis.
Huc celeri properate gradu, Parnasidos undas
Linquite, uos minimè præses Apollo uetat.
Huc & ad ignotæ fines intrate Morauæ,
Longa sit huc quamuis ex Helicone uia.
Ignotum cupio uestro modulamine carmen
Scribere quod nunq; morte perire potest:
Scilicet, Olmicij laudes, cui non habet urbem
Æqualem lato terra Moraua solo.
Est opulenta satis, forti instructissima Marte,
Et seruat leges, Iustiniane, tuas.
In qua perpetuo felix concordia floret,
Namq; in ea ciues foedera pacis amant.
Inclita felici cuius Respublica cultu
Crescit, diuitijs estq; beata suis.
Moribus egregijs populum, uirtutēq; sancta
Excultum gremio nutrit, habetq; suo.
Aucta Senatorum fulget probitate, fideq;
Hinc pia pupillis tradere iura solet.
Si mihi Nasonis detur facundia uatis,
Detur & Andini uena diserta senis.

Non possem dignas uerbis describere laudes. An

Ad urbē
præfatio

Permessides

Propo-
sicio.

Excedit uires nam labor ille meas.
Sed uelut in pictis uernali tempore pratis
(Deplorat ueteres cum philomela dolos)
Flores carpit apis summos mel dulce recondens,
In mirè structas fertq; subindè domos:
Sic ego ceu digitis tangam suprema, canamq;
Omnia conanti uena pusilla negat.
Ornarunt patrias urbes pleriq; poetæ
Laudibus, hîc quorum nomina pauca canam.
Norica berga tuas, pleno doctissimus ore
Cantauit uatum rex Eobanus: opes.
Æternos nomen cuius durabit in annos,
Nesciet illius sanctaq; Musa mori.
Inclutus Aonidumq; Gigas te carmine cultor
Ornauit digno, Lypsia clara, tuus.
Boiomas aliquot laudauit uersibus urbes
Collinus patriæ gloria, luxq; suæ.
Quid loquar Olmicium, quod cōmendare uolūtas
Me rapit, urbs laudes hæc cupit eximias.
Nobile nam reliquas inter caput extulit urbes,
Vincit sydereas ut uaga luna faces.
Vel louis ut reliquas longè super eminent ales
Dum uolat & radios tangit, Apollo, tuos.
Sed mea sufficiet promptissima, spero, uoluntas
Quando quod optarim non licet usq; mihi.
Tu mihi ferre pedem digneris, sancte Senatus,
Qui regis æquatis legibus urbis opes.

Dedica
torium
Carmè.

Tu mihi ferre pedem digneris sancte senatus.

Urbis & irriguis moenia laudat aquis,
Huc ades, atq; tuas nostris da cantibus aures,
Nec quæso tenuis sperne laboris opus.
Nam sine te uersus aliquod uix pondus haberent,
Priuatiq; suo forsan honore forent.
Ergo benignus ades præconia suscipe: vatis
Et rege propositi uela, ratesq; tui.
Est mons non altus priscisq; uocatus Iulmons,
Quo fuit urbs etiam nomine dicta prius.
Monte sub hoc donis campi cerealibus apti
Vndiq; se tendunt, prataq; picta uident.
Quæ loca ferre solent flauas uberrima fruges,
Agricolis reddunt præmia iusta suis.
Flumina piscinasq; uidet locus iste frequentes,
Quæ præbent pisces, fercula lauta, bonos.
Sunt etiam circum syluæ, saltusq; uirentes,
In quibus exercet nuda Diana choros:
Et modo uenatur lepores, sumptisq; sagittis
Inuia frendentes per loca figit apros.
Curuaq; ueloces qui gestant cornua cerui
Ad gelidè ludunt ordine littus aquæ.
Erecto pauidas ibi currere corpore Damas
Conspicies, sequitur quas uaga turba canum.
Recreat egressos illic uenatio ciues
Dum cadit in teretes præda petita plagas.
Flumen ad irriguum uernant florentibus horti
Fœtibus, atq; suo tempore poma ferunt.

Positio
& situs
urbis.

Dicitur hic similis Bacchi pulcherrima A iij *Mater*

Fulmineo infelix igne perisse Iouis.
Filius unde suam non uult ibi ducere uitam
Ciuibus hac causa dulcia uina negat.
Non tamen Vngarici defunt munuscula Bacchi
Quæ longa ciues de regione uehunt,
Inuenies etiam Cretæ de finibus illic
Vina, uel Austrici dolia multa meri.
His iacet in medijs urbs florentissima campis
Proxima marginibus, Marchia lente, tuis.
Ad Boreæ partes sublimior esse uidetur
In petris structas nam uidet illa domos.
Respicit occidua fortes à parte Boemos,
Silesias rigido cernit ab axe plagas.
At qua parte uenit pluuijs cum flatibus Auster
Incolit Austriacum gens populosa solum.
Solis ad exortum ditissimus Vngarus agri
Delegit sedes, natus ad arma, suas.

Vrbis
amoeni-
tas.

Vrbs est Olmicium gemino circumdata muro
Inter & alta frequens moenia turris adest.
Hic ubi sulfureos iaciens stat machina glandes,
Machina fulmineos mittere docta globos.
Exercent uarias artes hac urbe coloni,
Arte sua uictum quisq; parare studet.
Marchia queis gelidas largitur frigidus undas,
Et celeri sordes abluit urbis aqua.

Structu-
ra Do-
morū.

Quando mundiciem lustro, seriemq; domorum
Arte laboratas aspicioq; domos.

Bruch Payeri quantas uideo cum Moeniibus arces,

Surgere culminibus cella sub atra suis,
Ordine stant aedes duro de marmore structæ,
Urbi marmor enim petra propinqua parit.
Excelsæ crescunt de quo cum uertice turres
Ornant urbanas, atq; tuentur opes.
Urbes cum reliquæ careant saxiq; petrisq;
De lignis humiles ædificantq; domos:
Felix Olmicium solidas uidet undiq; petras,
Artificè seq; domi sculperè saxa sciunt.
De lapide hoc aedes, fora, templa parantur, & alta
Cœnobia ethereo facta propinqua polo.
Credere uix possis? æquare palatia possunt
Quæ Reges habitant, magnanimitq; duces.
Multi conciuēs non parcunt sumptibus amplis
Ut possint pulchras ordine habere domos.
Quid noua commemorem duro surgentia saxo
Moenia, uallatas aggeribusq; fores?
Per quas ingreditur populus: custodia fortis
Hic stat, & appositi nocte dièq; uiri.
Tecta coloratâq; tegunt sublimia portas,
Frontibus inq; suis regia signa ferunt.
Signa crucisq; tuæ portans seruator Iesu,
Qui fueras patri uictima grata tuo.
Omnes Olmicium longè post terga relinquit
Urbes, quas diues terra Moraua uidet.
Turribus excelsis inter formosa superbit
Moenia, sulphureos inde iaciq; globos.

Pulchri-
tudo
portarū.

arinoque sublimis seruant radiantia porta

Vtitur his quando ferrea bella iubent,
Omnibus est munita locis accessus, ut hosti
Crudeli nulla parte patere queat.
Vallo circumsepta suo, firmataq; fossis,
Fortiter hostiles prompta fugare manus.
Præstitit hoc olim celeri uirtute, fugauit
Quando suos hostes ut benè tuta foret.
Iam fuit in magno regio discrimine tota
Tartaræ sensit quando pericla manus.

Excursus
suo. Commemorare libet paucis hæc fortia gesta
De quibus Historiæ, non sine laude, canunt.

Qui tunc Vngariæ rex Bela regebat habenas
Boiemæ uoluit Marte nocere plagæ:

Ex Erebi genitam conduxit flumine gentem
Quæ trahit à Stygiò nomina dira lacu.

Primissus Belam sed fortibus expulit armis
Versa est in celerem Tartara gensq; fugam.

Olmū
cū Tar- Turpiter & rediens urbes populata Morauæ est
taros fu- Eius & eximias igne cremabat opes.

gaur,
Anno Cinxit & Olmicium cupiens euertere muros
Christi, Hæc urbs in magno iamq; pauore fuit.

1252. Ni sic oppressæ fortis succurreret urbi
Iarosslaus, prudens consiliumq; daret.

Heros à Sternberck hic nobile stemma trahebat
Ciuibus hac pressis uoce locutus erat:

Hosteis est multo felicius inde fugare
Nobis, quàm tremula uincula ferre manu:

Colligite ergo novas uires, effeteq; fortes **Colligite**

Hosteis pellemus mox & ab urbe truces.
Parent consilio, sumptisq; uiriliter armis
Inuadunt hosteis, nocte silente, suos.
Iarosslaus certo turmas ex ordine duxit,
Cui fuit Æacide mens generosa Ducis
Maneq; cum fulgens aurora cubile reliquit,
Prædixitq; suo Lucifer igne diem:
Per portas acies hostilia castra sequentes
Altos cum somnos duceret hostis atrox:
Inuasere feros armis feliciter hosteis
Velocemq; dedit Tartara turba fugam.
Quantas Olmicium laudes, præconia quanta
Victrici meruit bella gerendo manu?
Namq; metu magno reliquas absoluerat urbes,
Dum fugat ad gelidas Tartara castra plagas.
Diximus ad Boreæ partes quòd celsior urbs est,
Et de colle uidet prata propinqua suo.
Hoc in colle suas præsul fundauerat ædes
Stanislaus Turzo, uir pietatis amans.
Quas quia non potuit fragilis per tempora uitæ
Perficere, infectum manserat istud opus.
Hoc modo Dubrauius magnis cū sumptibus ornat
Præsul Iòannes, molis & urget opus.
Cuius cum uideo muros, turritaq; tecta,
Lustro uel ex humili culmina celsa loco:
Non domus est dicenda magis sed nobilis aula
Arbitrio solco dicere sæpe meo.

Nam tot habet Cameras clausas sub fornici **Barcu**.

Aula
Episco-
pi Olo-
mucens-
sis.

I otq; Itubas, quot nec regia Iolis habet.
Prospectus Musis illic aptissimus almis,
Namq; patent syluæ, flumina, prata, lacus.
Dentibus hac niuæ tondunt sua gramina uaccæ,
Ballantes errant hac quoq; parte greges:
Quos ubi sicca premit sitis ad currentia tendunt
Flumina, quæ gelidis inde feruntur aquis.
Hæc ornat celebrem quoq; regia præsulis urbem,
Qua Charites habitant, Pieridèsq; Dææ.

Mar-
chia
Fluuius.

De circumfuso quid dicam flumine? cuius
Cum uideo uitreas currere, miror, aquas.
Vix ita Pannoniæ decorat formosa Viennæ
Mœnia, cæruleis frigidus Ister aquis.
Ornat ut Olmicij muros uberrimus amnis
Marchia, qui geminis mœnia findit aquis.
Montibus excelsis, atris & scandit ab antris,
Hincq; per ambiguos cornua torquet agros.
Scinditur inq; duas partes lapsurus in urbem,
Pictaq; cum portis mœnia pulsata aqua.
In uarios usus homines depromere lymphas
Possunt, & liquidis membra lauare uadis.
Cuius conficiunt sapidum de flumine potum,
Dum lupulum miscent, & tua dona Ceres,
Balnea sunt etiam ripas ad fluminis altas,
Hic ubi sudores foemina, uirq; lauant,
Amnis in excelsisq; molæ stant margine structæ
Conteritur saxis in quibus alma Ceres,

Inferi usq; domus bibulani facit una papyrus.

Fluminis argentes sola stat inter aquas.
Ast ubi præcipiti cursu descendit ab urbe
Marchia, non duplici labitur inde uado.
In se sed rediens piscinis diuidit undas,
Hinc & hinc Austriacas cornua flectit aquas.

Urbe hac præcipuè cœli clementia regnat,
Ciuiibus & cunctis aura benigna fauet.
Ædificata loco quoniam sua tecta salubri
Urbs habet, in duris estq; locata petris.
Tabæ uenenata uiciatos non capit Austros,
Pestifero est morbo nullus in urbe locus.
Spiritus hanc afflat uentisq; salubribus urbem
Rarius hinc illi pestis acerba nocet.

Inuenies illic canos incedere ciues,
Nestora longæuum qui superare queant.
Quod si quando nocens saeuit per corpora morbus
E media ualidos urbe rapitq; uiros.
Arte Machoania claros sacer ordo Senatus
Nutrit, in hos sumptus & facit eximios.
Languida consilio celeri qui corpora curant,
Et facili pellunt arte uenena procul.
Sunt ibi namq; domus certæ quæ pharmaca uedunt,
Has uidet in lato turba profana foro.
Quarum magnificas cuperem describere laudes,
Ex quibus hospicium sæpe dat una mihi:
Ni mea mens iubeat ceptos urgere labores,
Extra me quoniam currere septa uetat.

at nihil inter ~~esse~~ opes urbis tam B ij nobilis splendet

Laus ur
bis a cle
mentia
cœli.

In medio licet Curia structa foro.

Quam quo cōmemorem dubito nūc carmine, quate
Laude feram? laus est hæc operosa nimis.

Curarum domus est, sanctoq; uenusta Senatu,
Mauritijq; uidet proxima templa sacri.

Cuius & aërius gemino cum culmine uertex
Surgit, & excelsum tendit ad astra caput.

Tecta colorati lateres sublimia claudunt,
Effigièsq; sua Curia fronte gerit.

Qua patet ingressus duplex gradus altus habetur,
Partibus ambabus præbet apertus iter.

Vna parte solet sapiens intrare Senatus,
Iudicium debet cum celebrare sacrum.

Posteriore gradu transit non nobile uulgus
Distribuit merces hac quia parte suas.

Lata pauimentum circum se Curia spectat
In medioq; patens area strata loco est.

Libra ubi ferratis pendet suspensa catenis
Venalesq; suo pondere pensat opes.

Intus conuexa surgunt testudine structa
Atria picta suis sunt & imaginibus.

Ast ubi iustorum subsellia splendida patrum
Auratis trabibus condecorata nitent;

Illic iusticiæ sedes sanctumq; tribunal,

Quod solet insontes saepe iuuare uiros.

Sontibus horrendum propter patrata uidetur

Crimina, namq; malis parcere iure nequit.

Parte uerecundus sedet ex utraque Senatus.

Cum iustas uoces ordine terre solet.

Impositosq; suis humeris fert ille labores,
Quales non fortis ferre ualeret Atlas.

At super auratas ædes altissima turris
Eminet, & pinnis nubila celsa ferit.

In qua custodes uigilant sub qualibet hora,
Ne noceat rapido Mulciber igne ferox:

Aut sua furtiuo tentoria milite figat
Hostis ut eximias tolleret urbis opes.

Est quoq; tibicen socijs cum quattuor illic,
Argutis ciues exhilaratq; sonis.

Inferius monstrat certas properantibus horas
Quæ stat in ambigua lubrica sphaera rota.

Effigies adstant circum, temoneq; recto
Anni demonstrant ordine cuiq; dies.

Curia, quid multis opus est? Capitolia uincit,
Obscuro quæ sunt inueterata situ.

Haud decet ut taceam celebris quã mercibus urbs sit,
Quamq; frequens illic aduena uendat opes.

Quo mercatores uarijs de partibus orbis
Adueniunt, merces ære locantq; suas

Ter tamen ingressus liber fit quolibet anno
Concessæ pacis cum dare signa solent.

Ingens urbis honos est, & spes maxima lucri
Confluit è uaria cum regione cohors,

Hoc quia conueniunt ueteres sub tempus amici
Aniquæ renouant pignus amicitiaæ.

Illius ungarica ueniunt tellure coloni B iij

Turris
ad Curie
am.

Horolo
gium.

Afrequē
tia Merc
catorū.

Olomū
cij nūdis
nē ter in
anno.

Diuitias portant curribus inq̄ suis.
Et de Sarmatica pingues regione Poloni,
Pellentes multos longa per arua boues.
Vicina apparent etiam de gente Boëmi,
Pragenfes illic inueniuntur opes.
Institor Auftriacis merces de finibus amplas
Aduhit è Veneta quas prius urbe tulit.
Inuenies illic quas dat Germania merces,
Gallica quas tellus, Anglica quasq̄ plaga.
Et quis dinumeret populos, gentesq̄: remota
Quæ ueniunt illuc, difficiliq̄ uia.
Namq̄ celebre forum magnas uidet undiq̄ turbas,
Quas hominum nemo dinumerare potest.
Millia tot capitum, quot lucida sydera coeli,
Quæ uendunt & emunt, pactaq̄ conficiunt,
Hic audire potes strepitus, & murmura uulgi,
Maternis uerbis, Teutonicòq̄ sono.
Sicut Vere nouo, cum grex densissimus exit
Conglomeratus apum, prataq̄ picta petit:
Frondebis arboreisq̄ sedet, leniq̄ susurro
Deffessis somnos suadet inire leues:
Sic hominum strepitus resonat, sic murmur in urbe,
Contractus quando garrula turba facit.
Carminè templorum modicas depromere laudes
Mens iubet, & uersus claudere fine breui.
Plurima sunt altas quæ templa cacumine nubes
Tangunt, Olmicium condecorantq̄ suum.

Ut jam de reliquis taceam memorabile Templum

Non procul a celebri statq̄ nitetq̄ foro.
Mauritio sacrum, saxo structumq̄ relecto
Ad cuius turres cornua stantq̄ duæ.
Vna gerit moles, sonituq̄ sonantia magno
Æra, sed alterius frons adaperata manet.
Innumere effigies in templi partibus hærent,
Sanctorum facies angulus omnis habet.
Stant & ad insigneis altaria crebra columnas
Et sunt ornatu singula tecta suo.
Cingitur expansis paries à fronte tapetis,
Quæ gens assueta Belgica texit acu.
Cornibus in templi medijs altare supremum
Stat, gerit immanes arcaq̄ summa uiros:
In medio genitrix uultu stat diua sereno,
In manibus puerum nutrit, habetq̄ suis.
Mauritiùsq̄ suos tollens ad sydera uultus,
Proximus ad dextram, stat niger, arma ferens.
Vencesilauùs item stat dux à parte sinistra
In clipeis aquilas gestat utraq̄ manu.
At facunde Simon, uerbi præcoq̄ disertè
Stat procul haud illinc structa cathedra tibi:
Qua facis ad populum sacros persæpe lepores,
Institui sq̄ rudeis in pietate uiros.
Organa crustatæ pendent sub fornici arcu,
Vocibus & uarijs concomitantur auis.
Non procul à templo domus ædificata Mineruæ
Stat celebris, multos discipulosq̄ fouet.

Disce apollineas arbes ubi docta iuuentus

riij.

*Templum diui
Mauritii.*

*Schola ad
Templum*

D. Mau
ritij. Imbibit & mōres cum pietate sacros.
Illa Senatorum sumptu sustentat alumnos
Ex quibus Aonidum grex facer haurit opes.
Ludus & alter adest urbis post moenia prima,
Estq; frequens Clario non minus ille choro.
Omnia si iustis commendem templa Camoenis
Hæc quibus Olmicij condecorantur opes:
Cresceret in magnum mea commendatio librum,
Lector & Historicum dicere posset opus:
Plurima prætereo, reliquis laudanda relinquo
Ingenijs quorum plus sacra Musa fauet,
Conclu
sio. Accipe nunc breuiter scriptas, urbs inclyta, laudes,
Parua uoluntatis signaq; nosce meæ.
Exiguis etiam coelestia numina gaudent
Muneribus; si sunt tradita mente pia.
Sic quæcūq; fero tu suscipe fronte serena
Et tua perpetuò fama superstes crit,
FINIS.

150

28764 052977